



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



XLIX.

Γερωνικῶν.

i. e.

De

SENECTUTE

Latinis Orationibus tribus

tres

lectiores discipulos,

JOHANNEM GODOFREDUM WIRTH, Rönigstein Misn.

GODOFREDUM LUDOVICI, Baruth. Lusat.

GEORGIUM GREGORIUM FRANCI, Mulcav. Luf.

die 28. Octobr. memoriter dissertaturos,

&

Duos priores ex his valedicturos

ut

Dn. Patroni, Fautores atqve Amici

exoptatâ præsentia

exhilarent,

et

ad inflammandam Juventutis Scholasticæ

industriam

benevolas aures per sesquihoram

commodent,

quanto potest opere

oratum vult

M. JOHANNES Rosenberg/

Schol. Budis. Evang. Rector.

Owen. lib. 1. Ep. 87.

Si quicquam rarum carum est, pretiumque meretur,

Crede mihi, res est Vir pretiosa, Bonus.

BUDISSÆ, Typis RICHTERIANIS. 1688.

2.

IN proximo *Programmate* benevolo Lectori fides data de supplendis iis, quæ ad *Viri Boni Characterem* pertinent. Nunc igitur promisso satisfactorius pergo ad *Amicitiam mortemque Boni Viri, nec non alia huic materiae cognata.* Nec hoc à materiâ de quâ dicitur, alienum est. Si quidem Senum est inter *Viros Bonos* principatum obtinere. *Bonitas enim & Probitas est optimum Senum unguentum,* secundum *Socratis,* Philosophi sapientissimi responsum. Is enim interrogatus, *quid deceret olere senes?* respondit καλοκαγαθίαν i. e. *Virtutem & Probitatem.* Dein rogatus, *ubi hoc unguentum venderetur,* respondit: non apud *Myropolas,* seu *Seplasiarios,* sed apud *Bonos,* recitavitque illud *Theognidis* v. 34.

Ἐὐλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐὸ δλὰ μαθήσεται.

i. e. *A Bonis bona disces.* *Xenophon* in *Sympos.* p. 691. & ex eo *Erasm.* *Chil.* 4. *Cent.* 8. *Adag.* 37. Et *Lacon* quidam, senex interrogatus, *cur barbam gestaret sylvosam ac promissam?* Ut, inquit, *intuens canos pilos, nihil committam illis indignum.* *Plut.* In *Lacon.* *Apophtheg.* p. m. 341. Ita *Vir Bonus* undique venatur *stimulos ad Virtutem.* Contra *Vir malus* cum *Cleanthe* in senectute læpius se ipse objurgare imò odisse cogitur. Si quidem is, cum more suo terram foderet, se ipsum sæpè increpabat. Quem audiens *Aristo,* quem (inquit) *objurgas?* Et ille ridens, πρεσβύτην, inquit, πολιὰς μὲν ἔχοντα, νῦν δὲ μὴ i. e. *Senem canos quidem, sed mentem non habentem.* *Laërt* lib. VII p. m. 296. Sed rem ipsam aggredior, & quidem primum *Bonorum Amicitiam.* Triplicem dari *Amicitiam, Honestam, utilem & jucundam* ex *Philosopho* lib. 8. *Eth.* c. 3. imò & magis ex quotidiana experientia patet. Sed inter *Bonos* non nisi *honestam* intercedit *Amicitia,* quæ πλεῖστα perfecta ab *Aristotele* c. l. appellatur. Sed hoc primum sentio (docet *Cic.* in *Lælio*) nisi in *Bonis Amicitiam esse non posse.* Namque ille amor mutuus inter *Bonos* verò & fir-
mo

mo innititur fundamento, quod est *Virtus*, ἢ δ' ἀρετὴ ὑβίσμων. i. e. Sola *Virtus* diuturna quaedam res & maximè stabilis. *Arist.* c. 1. vel uti *Stobæus Serm.* 1 p. 2. habet, ἢ δ' ἀρετὴ σταθερὴ καὶ ἀίπορος. *Virtus* res stabilis & immutabilis. Ob firmum igitur fundamentum, firma quoque est *Amicitia*. Imprimis autem *Boni* sunt in adversis stabiles & constantes. Nulla certè est firmitior societas, quàm cum *Viri Boni* moribus similes inter se copulantur. *Cic.* 1. *Off.* Hæc constantia est rarissima, juxta illud *Ovidii* lib. V. *Trist. Eleg.* 15. 28.

Rara quidem est *Virtus*, quam non fortuna gubernat
 Quæ maneat stabili, cum fugit illa pede.

Hæc rarâ *Virtute* dictus *Poëta* suum commendat *Celsum* lib. 1. de *Pont. Eleg.* X. 13. canens:

Cum domus ingenti subito mea lapsa ruinâ
 Concidit, in Domini procubuitque caput:
 Adfuit ille mihi, cum me pars magna reliquit,
 Maxime, fortunæ nec fuit ille Comes.

Idem de aliis paucis 1. *Trist.* 4. 29.

Vix duo tresve mihi de tot superestis *Amici*,
 Cetera fortunæ, non mea turba fuit.

Boni igitur non fortunæ, sed *Virtutis* sunt comites. Contra *Amicitia utilis* cum lucro, & jucunda cum voluptate mutatur. Imprimis vitrea illa *Compotorum Amicitia* aliquando citiùs, quàm vitrum ipsum, ex quo bibitur, perit. vid. *Arist. cit. loc.* Hoc habent *boni mores*, inquit *Seneca Ep.* 48. placent sibi & permanent. Levis est malitia. Sæpè mutatur non in melius, sed in aliud. Nec fidum potest esse multiplex ingenium & tortuosum. *Cic.* in *Læl.* *Mali* quidem cum malis etiam copulantur, sed illa non est vera *Amicitia*. Namquè inter *Bonos Amicitia*, inter *malos est factio*. *Sallust.* in *Jugurth.* c. 31. Vetus etiam est *Adagium*: κακὸς κακῷ συντελεθὲν ἢ δοῦν. i. e. *Malus cum malo collique- scit voluptate*, quod *Erasmus Chil.* 23. 75. ita exponit: *Malus ma-*

4.

malo jucundus ob vitiorum commercium; sed illa voluptas facile rursus dissolvitur, nec ætatem ferre potest. Imò mali potius inter se sunt hostes. Hinc rectè *Xenoph.* lib. 2. *Memorable Socrat* p. m. 593. *Quo pacto vel inter ingratos, vel inertes vel avaros, vel infideles, vel intemperantes amicitia conciliari possit? Quæ me causa movet, ut improbos omnes potius natura inter se hostes esse, quàm Amicos existimem* Et hi sunt illi Socienni, qui sibi mutuò insidiari solent. *Prov* 1. 18. Quidni autem Amicitia Bonorum perennet? Namquè ex eà exulat *Simulatio* & *Dissimulatio*, quæ multorum propria Virtus est, ut quondam *Tiberii*: *Nec quicquam enim simulabit aut dissimulabit Vir Bonus.* *Cic.* 3. *Offic.* Et *Bonus vult verè Bonus esse non videri* *Sallust.* in *Cat.* c. 54. Præterea *Boni gratitudinis sunt studiosissimi.* Nam si quid bonis boni fit, idem & grave & gratum esse solet. *Plaut.* in *Persâ* 4 5. *Bonis quod bene fit, haut perit. Contra malo si quid benefacias, id beneficium interit.* Id. in *Pæn.* 3 3. Hinc *Phocylides* præcipit v 142.

μη κακὸν ἐν ἑρξῆς, ἀειρεν ἴσον ἔς ἐνὶ πένω.

Nec bene fac. pravo, ne dentur semina Ponto.

Eadem ante Phocylidem docuit Theognis. v. 107. canens:

ἔτε γὰρ ἀν πόντον ἀειρων θαθὺ λήιον αἰωῖς

ἔτε κακὸς ἐν δρῶν, ἐν πάλιν ἀντιλαβοῖς.

Omne perit, quodcunquè tulit de semine pontus:

Ingratis quicquid sic datur, omne perit.

Imò ex sententiâ Comici in *Pæn.* 3. 3. *Malo benefacere tantundem est periculi, quàm Bono malefacere.* Boni itaque soli amicorum numero adscribentur, imò ad imitationem, Exempli atquè Regulæ loco junioribus constituentur. Utilissimum hoc est *Senecæ* Consilium: *Accipe, inquit Ep. XI. Et quidem utilem & salutarem, quem te affigere animo volo. Aliquis Vir Bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo viden-*

te

5.
te faciamus. Elige itaque *Catonem*: si hic videtur tibi nimis
rigidus, elige remissioris animi *Virum Lelium*: elige eum, cujus
tibi placuit & vita & Oratio: Et ipsius animum ante te ferens
& vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum.
Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant.
Nisi ad regulam, prava non corriges. Adde ejusd. *Epist.* 35.
Et hæc est *emulatio* maximè laude digna. Siquidem *ἔμυλον*
τῶν ἀγαθῶν ἐστὶν ἔμυλον. *Emulatio bonorum bona*. *Phocyl.* v. 60. Tan-
tùm de *Amicitia Boni cum Bono*. Nunc etiam quædam adde-
mus de *Amicitia Hominis cum DEO*, & quidem ex *Philoso-*
phiæ *Sacrario*, ut mirari quis non immeritò possit ad tantum
notitiæ gradum gentiles vel ex solo *Naturæ Lumine* perveni-
re potuisse. Audiamus *Senecam* in plerisque locis satis piè lo-
quentem: *Inter Bonos Viros & DEUM Amicitia est*, de *Provid.*
c. 1. & *Ibid.* c. 2. *Patrium habet DEUS adversus bonos viros ani-*
imum, & illos fortius amat: & Operibus, inquit, *doloribus ac da-*
mnis exagitantur, ut verum colligant robur. Langvent per in-
ertiam saginata, nec labore tantùm, sed mole & ipso sui onere de-
ficiunt. Quæ autem major esse potest *Amicitia* aut *Amor*,
quàm *Parentum erga liberos*. Audi etiam longè majora ex
Ep. 73. *Miraris homines ad Deos venire? DEUS ad hominem*
venit, imò (quod propius est) in homines venit. Nulla sine DEO
mens bona est. Ex quibus constat, quantùm saniores *Ethni-*
ci Amicitia hujus divinæ potiundæ causâ in *Virtutis studio*
sudaverint, licet scopo aberraverint. Quod enim non ex fide
est, peccatum est. *Rom.* 14. 23. *Et sine fide DEO placere impossi-*
bile est. ad *Hebr.* 1. 6. Extremò extremum omnium nempe
Mortem etiam videamus, quæ omnibus *Bonis & Malis* est com-
munis, sed longè alia est *Bonorum*, alia *Malorum*. *Mali* vel
instar *saginatorum pecorum*, vel cum *horrore & tremore vi-*
tâ expelluntur. Sed *Boni*, qui olim fuere ex gentibus, post
mortem expectarunt *Elysios Campos*; sicut è contrario *Ma-*
los

los ad *Tartara*, vel ad vulturem *Titii*, vel ad rotam *Ixionis* vel ad aliud infernale supplicium à tribus *Tartareis* Judicibus *Æaco*, *Minoe* & *Rhadamantho* irrogandum damnarunt. Sed hæc fuere fabulæ ex doctrinâ verâ de Cœlo & inferno corruptæ. Cæterum *Boni* plerumquæ brevis ævi. innuit hoc *Lipsius* *Cent.* 3. *Miscell.* Ep. 29. scribens: *Sed iste*, sc. *Juvenis* defunctus *eminere genio* & *ingenio* videbatur. *Credo* equidem, & hoc ipsum est cur hic non perennarit, quia *DEUS* ille optimus optima ferè ad se attrahit. Interea non indignantur, sed credunt *DEO* tantò cariores esse, quò citiùs ex terreno hoc carcere evocantur. Cum *Socrati* cicutam bibituro *Amici* invaderent, ut se purgaret *Judicibus*, atquæ adeò diutiùs viveret, respondit: *DEO* potiùs videri, ut hoc tempore vivendi finem faceret, ne fortè in senectute se deteriozem, quàm hæcenus præstaret. Se autem hæcenus nullum læsisse, nequæ deteriozem reddidisse, sed potiùs operam dedisse, ut meliores familiares suos efficeret. *Xenoph.* lib. 4. memorabil. Eadem sunt *Catonis* de Senectute ita loquentis: *Quid*, quod sapientissimus quisquæ æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longiùs, videre se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Et paulò post: *Quodsi* quis *DEUS* mihi largiatur, ut ex hæc ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valdè recusem. Nec verò velim, quasi decurso spatio, ad carceres à calce revocari. *Quid* enim habet vita commodi? *Quid* non potiùs laboris? sed habeat sane, habet certè tamen aut satietatem aut modum. Licet autem *Boni* sint brevioris vitæ, tamen diutissimè vixisse rectè dicuntur. Siquidem vita longa non consistit in *Quantitate* sed in *Qualitate*, non in temporis diuturnitate, sed in *Morum Bonitate*. *Seneca* sententia est *Ep.* 77. *Quomodo* fabula sic vita, non quam diu, sed quam benè acta sit refert. Et breve tempus ætatis satis longum

gum est ad bene beatèque vivendum Cic. in Cat. Maj. Idem lib.
 4. Tusc. quæst. Philosophiam ita compellat: Unus dies bene & ex
 præceptis tuis actus peccantis mortalitati anteponeendus. Alexander M. vitæ
 longævitatē non in annorum, sed in victoriarum numero sitam esse pu-
 tabat. Non annos meos (inquit apud Curt. lib. 9. c. 6.) sed victorias nu-
 mero. Si munera fortune bene computo diu vixi. Item, Ego me metior non
 ætatis spatio, sed gloriâ. Ex eadem radice nata illa vox Epaminondæ in o-
 ptimo ætatis & gloriæ cursu morituri: Satis vixi, invictus enim morior.
 Nepos 15. 9. vid. Sat. in Jug. c. 1. & Sen. de Brevit. vitæ c. 1. Quæ porro fuerit sen-
 tentia de Morte Bonorum passim patet ex Cicerone, qui totam Philosopho-
 rum vitam commentationem mortis esse ait lib. 1. Tusc. quæst. Idem de Sene-
 ctute circa finem scribit: Senectus tam mihi jucunda est, ut quo propius ad
 mortem accedam, quasi terram videre videar; aliquando in portum ex lon-
 gâ navigatione venturus. Et paulò post exclamat: O præclarum diem,
 cum ad illud divinum animorum concilium, cœtumquæ proficiscar, cumquæ
 ex hac turbâ, & colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum vi-
 ros, de quibus ante dixi; verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir me-
 lior natus est, nemo Pietate præstantior: Eâ de causâ Bonorum mortem cum
 cygnis morientibus comparat. Ut Cygni, inquit lib. 1. Tusc. quæst. qui non sine
 causa Apollini dicati sunt, seu quod ab eo divinationem habere videantur,
 quam providentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur,
 sic omnibus bonis & doctis faciendum. Quia autem Cicero mentionem hîc
 facit Cygneæ cantionis, sciendum eandem à Poëtis tanquàm indubitatam pas-
 sim repeti. vid. Virg. Ecl. 9. 25. Ovid. lib. 5. Trist. El. 1. v. 11. Id. Heroid. Ep.
 VII. 2. Martial. 13. Ep. 77. Hor. lib. 2. Od. 20. & lib. 4. Od. 3. &c. Sed quid de
 hoc cygneo cantu statuendum sit, exponit Vossius in Theolog. Gent. lib. 3. c.
 88. Negat maximè Scaliger in notis ad lib. 9. hist. Animal. Arist. c. 12. Fer-
 rariæ, inquit, multos vidimus; sed canentes malos, nequæ melius ansere canere.
 Sed tamen non de nihilo videtur esse cygneæ cantio, imprimis cum ipsi sapientes
 Ægyptii Senem Muscum per hieroglyphicam cygni effigiem significare
 consueverint. Pierius lib. 23. hieroglyph. p. 228. Hactenus de Viri Bo-
 ni Characterē. Huic addenda essent quasi Corollarii loco, quædam huic
 materiæ affinia, sed de tribus nunc Dicentibus dicendum. In his GEOR-
 GIUS GREGORIUS FRANCISCI primò primitiarum loco Senectutis lau-
 des exrollet. Secundo loco GODOFREDUS LUDOVICI, Senectutis in-
 commoda, & imprimis ad ductum Salomonis ex Ecclesiast. XII. v. 1. & seqv.
 idquæ

idquæ ex fontibus *Hebrais* adducet. Deniquè JOHANN. GODOPRE-
 DUS WIRTH Arbitri loco suam *Sententiam*, certis *adhibitis distinctionibus*
 proferet. Is ferè per *sexennium* Scholæ nostræ *Alumnus* fuit. Et primò
 quidem *privatæ informationi & convictui* Tit. Dn. Joh. Christoph. Wagneri,
Collegæ & Compatriæ carissimi à Parente Tit. Dn. Tobia Wirth Cive & Mercatore in
 Königstein est *concreditus*. sub quò, sicut & deinde sub aliis etiam *Præceptoribus*
 tantos fecit in *lingvâ Latinâ, Græcâ & Hebraicâ* progressus, ut nunc cū fru-
 ctu ad *subsella Academica* iter adornare & *Ipem de se conceptam confirmare*
 possit. Ne verò more *ingratorum* quasi per *posticum* se subducat, *Præceptoribus*
 & *Benefactoribus Carmine Germanico* gratias aget. Eodem mo-
 do *variarum linguarum, etiam Orientalium Carmine* Scholæ nostræ *valedi-*
 cet GODOFREDUS LUDOVICI. Is hoc ipso, quo hæc scribo die ar te
 quinquennium à *Viro admodum Reverendo atquè Doctissimo Dn. M. GEOR-*
 GEGOTTLOB Pischmann *Pastore Siegersdorf. fidelissimo, Virico* quidem,
 sed *verè paternum animum amoremquè habente*, ad nos est *deductus*. Et
 quia *feliciori ingenio* à DEO donatus, inde *indultriâ cum precibus conjun-*
 ctâ *publicè privatimquè* adeò profecit, ut multos a *qualium præverteret*.
 In *Græcis* *privatâ informatione* usus est Tit. DN. ANDRÆ CHRISTIA-
 NI, *Con-Rectoris optimè meriti*. Jam ante *sesquiannum Carmine Latinò &*
Græcò progressum *specimen publicè exhibuit. vid. Progr. 38.* Hisce igi-
 tur *dictis duobus abiturientibus* ex animo *precor, ut Studiorum Academico-*
rum non minus egressum, quàm ingressum felicem faustumquè inveniant, atquè
aliquando ad aliora evadere, & Officia DEO atquè proximo grata atquè utilia
prestare queant. Tertius est *Viri plurimum Reverendi, Amplissimi & Claris-*
simi DN. MARTINI FRANCISCI, Superintendentis Muscaviensis benè me-
rentissimi, Fautoris atquè Amici honoratissimi Filius natu maximo. Hujus *in-*
genium nihil vulgare spirat, ita ut in Filio Parentem cernere liceat. Pro-
 gressus etiam ejus in *lingvâ Latinâ, Græcâ & Hebraicâ* tanti sunt, ut *inge-*
 nio respondeant, & *Præceptoribus* satisfaciant. Faxit DEUS, ut in po-
 sterum quoquè cum *fratre paternæ Pietatis, Eruditionis, atquè Fame* sem-
 per memor maneat, atquè *metam Scholasticorum Studiorum feliciter attingat.*
 Hoc opto & confido. In DEO & cum DEO omnia. AMEN!
 Vale L. B. Ex Museo Scholastico die 26. Octobr. eo ipso die, quo ante 16.
 annos ad *volvendum saxum Scholasticum Budissam* intravi. DEO sit gratia,
 qui *infirmatam meam adjuvit, nec Laboribus concatenatis successum de-*
negavit, & imprimis in horrendo incendio ante biennium me meosquè
custodiâ Angelorum protexit.

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

35

TUTE

ibus tribus

cipulos,

WIRTH, Königstein Misn.
Baruth, Lusat.

LANCI CI, Mulcav, Luf.
ter dissertaturos,

s valedicturos

res atqve Amici

esentiâ

entutis Scholasticae

am

sesquihoram

nt.,

opere

vult

Rosenberg/

ng. Rector.,

Ep. 87.

pretiumqve meretur,

retiosa, Bonus-

HTERIANIS. 1688.

